



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Vnio cum Deo. n. 32.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

speciem extento collo & composito gradu incedere. (quod merito vitio  
vertitur nisi cum necesse est) non tamen alta sapere, sed humilibus consen-  
tire; Si ambulandum fortasse sit in magnis, non exaltare animam vestram,  
sed eum imitari qui exaltatus à terra omnia traxit ad seipsum; quam Exalta-  
tionem certe Iudæi ipsi interpretati sunt summam esse humiliationem. Hic  
hamus est Piscatoris elcâ coopertus; elca vermis est, vt cultus corporis; ha-  
mus mantuetudo & humilitas; quod mirum videri posset nisi Apostolus  
nos doceret hanc esse viam homines capiendi *Neminem lesimus, neminem*  
*corrupimus, neminem circumuenimus. Ecce seruus meus* (inquit Elaias de  
Christo loquens) *suscipiam eum, Electus meus, complacuit sibi in illo anima*  
*mea; dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.* Quis est iste  
spiritus tam potens, tam sæcundus? nisi is quem idem Elaias, & vnâ Mat-  
thæus pronunciant. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in*  
*plateis vocem eius; Arundinem quassatam non confringet, & linum sumi-*  
*gans non extinguet; non erit tristis, neque turbulentus; donec ponat in terra*  
*iudicium, & legem eius Insule expectabunt.* Pluribus consolationi  
meæ vobiscum, Patres dilectissimi, indulgentem dies deficeret: Cum eo-  
dem Christo humilitatis Magistro, vos alloquor, *Si hæc scitis, beati eritis si*  
*feceritis ea.*

1635.

2. Cor 9. 28

Ez. 41. 1.

Io. 13. 17.

Vnio cum  
Deco.

Conf. p.

10. 5. 2.

XXXII. Atque vt tandem ad finem vergat Epistola, & paucis  
omnia comprehendam, verba illa atque etiam sensum ipsum Sancti P. N.  
*Ignatii* in verbis latentem, omnibus alte insidere percipio, "Ad conserua-  
tionem & Incrementum non solum corporis, idest, eorum quæ externa  
sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis quem sibi pro-  
ponit auxiliij animarum ad vltimum & supernaturalem suum finem conse-  
quendum, media illa quæ cum Deo Instrumentum coniungunt, ac dispo-  
nunt vt à diuina manu gubernetur, efficaciora sunt, quàm quæ illud dispo-  
nunt erga homines; huiusmodi est probitas & virtus, & præcipuè Charitas  
& pura Intentio diuini seruitij, & familiaritas cum Deo in spiritualibus de-  
uotionis exercitijs, & zelus sincerus animarum ad gloriam eius qui eas crea-  
uit alio emolumento posthabito.) Itaque quamuis cum in Angliam accersimur  
videmur vocari ad Actionem, præcipua tamen huius Actionis pars est  
ipla Contemplatio, sine qua non perfunctoriè, non cursim tanquam ad alia  
properantes, sed sedulo peracta, frigeat omnis Actio necesse est & tan-  
quam à fonte præcisus riuus sensim are scat; quo fit vt multis annis ad speciè  
studiosè omnia agamus, nihil tamen in nobis ipsis vel in alijs magnopere  
perficiamus; vt non immerito Præpositi ac Rectores, statim initio regula-  
rum quæ ad ipsos pertinent, moneantur "Primam officij sui curam in eo po-  
sitam esse, vt Oratione & Sanctis desiderijs totam domum velut humeris  
suis sustineant, & quæcunque in ijs quibus prælunt optare debent, in seipsis  
præstare studeant.) Quæ vobis, Patres mei, eo maiori ratione dicta esse ex-  
istimare debetis, quo vestris humeris non ea sola domus in qua singuli ha-

Qqq 3

bitatis

1637.

De hora  
Considerationis.

bitatis incumbit, sed Missio hæc vniuersa, cuius partem laboribus, at verò integram orationibus apud Deum procurandam suscepistis. Quod cum ita sit, illud etiam diligentiam vestram excitare atque acuire debet, quòd in Collegijs multa adiumenta suppetant ad vos officij vestri commonfaciendos: In Missione ista quisque sibi ipsi quodammodo Rector constitutus est & minister, & Præfectus spiritus, & visitator, & excitator, & Monitor; quæ officia singula nisi singuli accuratè præstetis quàm facillè deperibit tempus, & cum tempore occasio omnis profectus! Itaque mihi sæpius in mentem venit quod superioribus localibus præscribitur de Hora Considerationi quotidie vel alternis diebus impendenda, id vobis omnibus tanquam apprimè necessarium commendare, vt saltem alternis septimanis, vel singulis mensibus horam vnã huic curæ seponatis, atque in ea vobiscum & cum Deo attentè consideretis quomodo in primis se habeat status animæ vestræ, tum etiam aliorum quibuscum versamini; quid impedimenti interueniat & distractio- nis; quibus remedijs vtendum censeatis. Vnumquemque enim vestrum posuerunt Custodem in vineis, non in vna tantum (quod eorum est qui toti sunt in Contemplatione,) sed in multis vineis, quarum præcipua est illa animæ vestræ, tum deinde aliorum. Iam vero Custodis esse scitis non solum fures arcere, & vulpeculas capere nè vineas demoliantur, sed vites singulas sigillatim visitare, putare, ab ardore nimio vel humore defendere, & si quæ alia sunt ad vineæ culturam necessaria, fructuumque incrementum sollicitè procurare, quod quâ ratione alia sperare potestis vos diligentius præstituros quam si singula frequenter perlustratis? Sed quoniam quo longius in oratione progredior eò plura occurrunt dicenda de dignitate, de onere, de solitudine etiam quam quisque de se & alijs habere debet in hac nostra Missione, vno verbo omnia me comprehendisse existimabo, cum id quod à Christo Domino mihi ante alios dictum esse satis video vobis omnibus dixerò *vigilate*. Sic enim & Custodis attentus, & fidelis serui, & prudentis Virginis, & villici non dissipantis, & amantis sponsæ, & filij facientis voluntatem Patris munera perficietis, quæ omnia singulis incumbunt; post quos labores fideliter exactos intrabitis in gaudium Domini; quod omnibus exopto, & me Sanctis sacrificijs & precibus ex animo commendo.

Quid in  
hac tota  
Historia  
obseruan-  
dum.  
Ruff. in

Hist. Na-  
zian. or.  
de Basilio.  
Hist. Trip.  
i. 6. c. 2.  
vid. vti-  
cen.

XXXIII.

Hæc sunt quæ verbo & exemplo tradita reperi ab al-  
terius sæculi Anno octogesimo ad huius trigésimum quintum quæ quidem  
ad nostram Societatem pertinent, nam vniuersam historiam persecutionis  
complecti mei non erat instituti, & esset infinitum: multa etiam excidisse  
necesse est quæ nostra sunt, vt initio adnotauimus. Illud verò in primis in hac to-  
ta Historia animaduertendum venit, Quemadmodum olim Arriani mag-  
num Athanasium, Valens Basilius, Iulianus Apostata Clerum vniuersum,  
Wandali Catholicos in Africa, Theodora Syluerium Pontificem in Italia  
Religionis quidem causâ persecuti sunt, cum essent ipsi hæretici, varia tamen  
his